



AGNELLI

In Eremitio cibavit, qui de caute aquam produ-
xit. Manu gravis Amalech interiit, qui
Chananzorum Regem contrivit; qui Erhan-
fluvia ficcavit; qui laticem potus amarum, &
indictum per lignum portabilem fecit, qui in
Sina verba legis in binis lapideis Tabulis accep-
pit, cujus facies Solis rutilum superavit, qui
serpentem pro plaga Israëlitica in Ere-
mito exaltavit, cujus inimicos terra absorbit, qui
vitulum aureum confregit, qui cum Deo,
quasi cum amico, facie ad faciem locutus est,
qui per columnam nubes diei, & noctis igneam
Israëliticam protegebat exercitum; cujus super
hæc omnia Angelus in ministerium datus est,
dicente Domino; ecce mitto Angelum meum,
qui præcedat te, & custodiat semper. Ita huic
Viro S. Johanni custodem corporis ex Cœlis
Angelum misit; sed ista omnia, quæ superius
notis alligata enixius reliqui, quomodo justifi-
cetur homo, aut quomodo in peccatis moretur,
vel contemetur, in sequenti sermone, ut fas-
tidium non creetur, in Vita Sancti alterius
Viri, donante Domino, gratanter nunciabo.
Rexit autem Beatissimus iste Johannes Eccle-
siam suam annos (1) XVI., menses X., dies
XVIII.

OBSERVATIONES

AD VITAS

S. JOHANNIS ANGELOPTI,

ET

JOHANNIS II.

Chronologica recapitulatio. Cubiculariorum
officium. Subditæ in Basilicis locus. Mona-
sterii nomine apud Agnellum quid veniat?
Mortuorum corpora an intra Basilicas sepeli-
rentur? Nonnulla ad Chronologiam spectan-
tia pro Attilæ, & Theodorici ætate. Eorundem
Acta illustrata. Valentiniani Privilegium
pro Ravennate Ecclesia suppositum. Gallæ
Placidie Stemmata, Paternum, ac Mater-
num. Liturgica nonnulla.

I. **E**X allatis supra in Dissertatione postrema
apparet, huc in unum duorum saltem Epi-
scoporum ejusdem nominis Acta confluisse. Porro
facili negotio ea, quæ ad AngeLOPTEM spectant,
discernuntur, ac ea ferè sunt, quæ Valentiniano
adscribuntur, nonnulla verò ex his, quæ Gallæ
Placidie Auguste. Dedicatio Sacelli à Lauricio
constructi nullo modo ad Honorii tempora spectare
potest ex Consulari nota Theodosii, de qua suo lo-
co. Observandum etiam est, plura hic tradit à No-
stro de Theodorico, & aliis, quæ sunt per *προδρομικῶς*
anticipata.

II. Duorum clarissimorum Virorum labore Tem-
plum D. Laurentio dicatum à fundamentis ædifi-
catum, ornatumque exhibet Agnellus; prior Lau-
ricius, secundus Opilio fuit. Lauricium Major-
rem cubiculi Imperatoris primò vocat, postmodum
Architectum. De Opilione tradit ornasse eundem
Templi faciem, & Basilicam pretiosa donaria obtu-
lisse. Quod spectat ad Lauricium vix aliàs inter
officia Domus Auguste Imperatorum, sive Orien-
tium, sive Occidentalium mentio occurrit Major-
is cubiculi. Fortè tamen munus hoc idem est, ac
Præpositus Sacri Cubiculi, de quo in Cod. Theod.

(1) Vide præcedentem Dissertationem. Bacch.

A *lib. 6. tit. 8., & l. penult. C. de Præposit. Sac. Cubic. Anno CCCCXXII. Honorio XIII. & Theodosio X. Macrobius Virum inlustrem ad ejus muneris honorem provectum ostendit laudata Codicis Theod. lex, vivente adhuc Lauricio, qui proinde dignitatem antea gesserat. Quo autem gradu essent ex ejus legis Decreto, qui præpositi munere functi fuerant, ostendit lex ipsa; qui Sacri Cubiculi nostri fuere Præpositi, vel nunc esse coeperunt, vel quos postea fors ad ascendendi hujus gradum fastigii devocarit, ea dignitate fungantur, qua sunt præditi, qui Eminentissimam Prætorianam, & Urbanam meruerint Præfecturam, aut certè militare magistrum potestatem: itaut sit inter eos post depositas administrationes nulla discretio; Cubicularii etiam nomine κατ' ἔξοχην Præpositum vocatum indicant Acta in Concilio Ephesino contra S. Cyrillum, ubi καὶ βουλευτικῶν honoris causâ dicitur μεγαλοπρεπέστατος, καὶ φιλόχριστος. Epistola Comitis Irenæi ad Orientales; πῶν μὲν μεγαλοπρεπέστατος, καὶ φιλόχριστος καὶ βουλευτικῶν Ἐχθροῦσιον, ἵππεσιν ἐπιλογοῦμενος, quæ ad Lauricii tempora spectant, & ad ejus dignitatem discernendam. Ita Eunuchis, qui Cubiculariorum gregem constituebant, ad summos honores via patebat, ex quibus Lauricium unum fuisse consequens fit. Architectum autem illum vocat Noster, quod ad struendam præfuerit, & rationem præscripsit. Nec aliud de Opilione statuendum censeo, qui ornandam curaverat Basilicæ faciem, & pretiosa donaria religionis causâ eidem Basilicæ contulerit, seque ibidem post fata tumulandum voluerit.*

III. Sepulcri hujus locum designat Noster, sed vocabuli barbarie tenebras affundit, quæ efficiunt ut ab eo explicata ulteriori explanatione indigeant; & ipse, inquit, sepultus est Opilius parte mulierum circa mediam Subditam. Quæ in Basilicis esset pars mulierum satis superque constat, nec plura addere vacat in re compertissima. Quæ verò ex Basilicæ ædibus Subdita nuncuparetur, non licuit usque in hanc diem cognoscere. Cùm Christianorum Veteres Basilicæ tum Græcæ, cum Latine in partes interiores, ac exteriores distinguerentur, ut saltem dignoscatur, an pars illa, quæ Subdita apud Agnellum audit, ad interiores, vel ad exteriores pertineret, pendere videtur à celebri questione illa, quæ plures exercuit Scribentes, utrum videlicet intra Basilicas sepelirentur defunctorum Fidelium cadavera, quo de argumento affirmativam sustinens, novissime egit eruditus, mihique arcto amicitia vinulo charus Ludovicus Muratorius, Dissert. 7. ad clarissimum Virum Johannem Ciampinuum in primo Anecdotorum suorum volumine nuper edito. Quæ in re plurimam lucem ex Agnelli Opere affulgere mihi videor videre. Solenne enim illi est distinguere inter Basilicas, seu Ecclesias, & Monasteria. Basilicarum, seu Ecclesiarum vocabulo intelligit, quod voces ipsæ sonant, nec ulteriori explanatione indiget. Monasteria verò ea vocat, quæ quidem Divino cultui dicata erant, sed Privatiorum quodammodo usui inserviebant, nec publicis utriusque sexus Christianorum Conventibus patebant, quod Basilicarum juris erat; Oratoria, seu Sacella aliis dixerit. Distinctio inter Basilicam, & Monasterium passim in toto opere videre est. Locus tamen insignis occurrit infra in Vita S. Maximiani, ubi loquens de Basilica Sancti Stephani hæc habet; ad latera vero ipsius Basilicæ Monasteria parva subjunxit, quæ omnia novis tessellis auratis, simulque promiscuis aliis calci infixis mirabili-

D

E

liter